

Cambridge University Press

978-0-521-13000-4 - Flavii Cresconii Corippi: Iohannidos Sev De Bellis Libycis
Libri VIII

Iacobvs Diggle and F. R. D. Goodyear

Excerpt

[More information](#)

PRAEFATIO AD
PROCERES CARTHAGINIENSES

Victoris, proceres, praesumpsi dicere lauros:
tempore pacifico carmina festa canam.
scribere me libuit magnum per bella Iohannem,
uenturo generi facta legenda uiri.
omnia nota facit longaeuo littera mundo, 5
dum memorat ueterum proelia cuncta ducum.
quis magnum Aeneam, saeuum quis nosset Achillem,
Hectora quis fortem, quis Diomedis equos,
quis Palamedeas acies, quis nosset Vlixem,
littera ni priscum commemoraret opus? 10
Smyrnaeus uates fortem descripsit Achillem,
Aeneam doctus carmine Vergilius:
meque Iohannis opus docuit describere pugnas
cunctaque uenturis acta referre uiris.
Aeneam superat melior uirtute Iohannes, 15
sed non Vergilio carmina digna cano.
maxima ductoris quod sum temerarius acta
uirtutesque uiri uictaque bella tonant.
nutat in angusto discors fortuna poetae:
laureus inde fauor, pallidus inde timor. 20

PRAEFATIO AD PROCERES CARTHAGINIENSES *e coniect. praescr. Mazzucchelli*
I uictoris *cod. Casinensis (de quo u. p. vii): uictores T 4 fatta T (tt pro ct scriptum, corruptelam frequentissimam, posthac silentio praetermittimus) 5 lit-tara T 7 fort. melius Aenean (et infra uu. 12, 15): cf. TLL s.u. 982.1 sqq. nosset Mazzucchelli: noscet T 9 palamedas T acies non mutandum (u. Roscher, Lex. Myth. 3.1270): frustra apices Shackleton Bailey, artes Petschenig **II** smirneus T 12 uirgilius T (et ita u. 16) **13** pugnas Mazzucchelli: pugna T *de locutione Iohannis opus cf. 8.580 tuae uirtutis opus 17 sum uel sim T 18* tonant *uel notant Goodyear (u. CR s.n. 18 [1968], 14): donant T: docent Bekker 19 angusto Petschenig: angustum T 20 fauor luce**

Cambridge University Press

978-0-521-13000-4 - Flavii Cresconii Corippi: Iohannidos Sev De Bellis Libycis
Libri VIII

Jacobvs Diggle and F. R. D. Goodyear

Excerpt

[More information](#)

PRAEFATIO

concitat ad cantus series ditissima rerum:
 incalui gestis frigidus ingenio.
 ductorem egregium docto non carmine canto,
 et retinet linguam torpor in ore meam.
 25 quid <quod ego> ignarus, quondam per rura locutus,
 urbis per populos carmina mitto palam?
 forsitan et fracto ponetur syllaba uersu,
 confiteor: Musa est rustica namque mea.
 nempe admittenda est dicendae gloria laudi:
 30 fraudabor solus munere nulla canens?
 concitat ora magis pulsus de pectore terror:
 laudibus immissis sit fauor ore meo.
 quos doctrina negat confert uictoria uersus,
 carminibus fessum gaudia tanta leuant.
 35 gaudeat in multis sic si Carthago triumphis,
 sit mihi rite fauor, sit rogo uester amor.
 rustica Romanis dum certat Musa Camenis,
 ductorem nostrum fama per astra uehit.
 si placet ut primi recitem mea dicta libelli,
 40 tunc meritus iussis carmina prima cano.

clarius exstat in T: furor tamquam in T inuentum ediderunt omnes 21 ditissima
 Diggle: fidissima T: nitidissima Goodyear 23 ductorem egregium
 Shackleton Bailey: doctorum ingenium T: ductorem ingentem Goodyear
 (u. BICSL 15 [1968], 70): inter ingentem et egregium uix diiudicari potest
 24 hore T (h perperam adiectum uel omisum, corruptelam frequentissimam, posthac
 silentio praetermitteremus) 25 quod ego add. Teuffel: quid * ignarus T (rasura,
 sed in spat. perbreui) luctus T, et ita saepe 26 micto T, et ita saepe
 27 et Partsch: ex T sillaba T (frequentissimam inter i et y uariationem posthac
 silentio praetermitteremus) 29 laudi] laudis Shackleton Bailey 31 oro T
 32 immissis] emissis Mommsen, quem sequuntur edd., minus apte; opus enim
 immittens (hoc est paene per metaphoram equestrem 'stimulans e carcere': cf. con-
 citat u. 31) ipsis iam initiis omnia fausta sint precatur 34 leuans T 35 si
 Partsch: se T 37 certa T 38 ductorem Mazzuchelli: doctorem T
 40 meritus] hoc est, ut uid., per metaphoram castrensem 'famulus': cf. 4.363,
 TLL s.u. 803.82.

Cambridge University Press

978-0-521-13000-4 - Flavii Cresconii Corippi: Iohannidos Sev De Bellis Libycis
Libri VIII

Iacobvs Diggle and F. R. D. Goodyear

Excerpt

[More information](#)

CORIPPI IOHANNIDOS

LIBER PRIMVS

SIGNA duces gentesque feras Martisque ruinas,
 insidias stragesque uirum durosque labores
 et Libycas clades ac fractos uiribus hostes
 indictamque famem populis laticesque negatos, 5
 utraque letifero turbantes castra tumultu,
 turbatos stratosque cano populosque subactos,
 ductorem et magno signantem facta triumpho:
 Aeneadas rursus cupiunt resonare Camenae.
 reddita pax Libyae bellis cessantibus astat,
 certior et geminis fulget Victoria pinnis; 10
 iam Pietas caelo terras prospexit ab alto,
 Iustitia comitante simul Concordia mundum
 laeta fouens reficit geminis amplexa lacertis.
 has inter medius solio sublimis ab alto,
 Iustiniane, tuis, princeps, assurge triumphis 15
 laetus et infractis uictor da iura tyrannis:
 inclita nam cunctos calcant uestigia reges
 laetaque Romano seruit iam purpura regno

LIBER PRIMVS *praescripsit Mazzucchelli* 2 stragesque *cod. Budensis (de quo u. p. vii): strages T* 3 Libycas (libicas T)] Libyae *cod. Budensis, eo fort. spernendum quod talem genetiui casus constructionem, quod ad uoc. Libyae attinet, ideo plerumque adhibet Corippus ut duplicis epitheti homoeoteleuton euitet (e.g. 2.40, 3.68), tali causa non cogente adiectiuum praefert* ac T (*uoc. rarius a Corippo usurpatum*): et *cod. Budensis, fort. recte* 5 est ut cum uoc. turbantes uoc. populos e u. 6 subaudiatur; sed paene malim uu. 5–6 inter se transponendo structuram suauiore reddere 8 encades T 11 piceas T 13 refecit T 16 et infractis *Mazzucchelli, et haud scio an habeat T: et infractis in T legit Patsch, etiam fractis uix recte Mazzucchelli* 18 1(a)etaque] laetos et erga principem gratos regum subditorum animos καθ' ὑπερβολήν iactat, ut solet (cf. 2.384–7, *Iust. pr. 6, 18, 27–9, 2.146–7*): lataque *Diggle olim (u. CQ s.n. 18 [1968], 132)*

Cambridge University Press

978-0-521-13000-4 - Flavii Cresconii Corippi: Iohannidos Sev De Bellis Libycis
Libri VIII

Iacobvs Diggle and F. R. D. Goodyear

Excerpt

[More information](#)

IOHANNIDOS

sub pedibusque tuis uictus prosternitur hostis
 20 et gentes fera uincla ligant nodoque tenaci
 post tergum implicitas stringunt retinacula palmas,
 saeua superpositis plectuntur colla catenis

.

oraeque per centum producant pectora cantus,
 non mihi sufficerent sensus, non omne canenti
 25 ingenium lati uolitans per deuia mundi.
 summatim illa canam: summis haec laudibus apta.

Africa sub magno nutabat fessa periclo.
 nam fera barbaricis rabies exarserat armis,
 insidiis ferro flammis populisque superba,
 30 omnia succendens direptae moenia terrae
 captiuosque trahens cunctis e partibus Afros:
 iam nullum discrimen erat—non uatibus ullis
 parcere nec senibus potuit concedere fessis
 quisquis honos busti. iacuit tunc omne cadauer
 35 confossum gladiis. natis fas non fuit ullis
 corpora caesa patrum congestae subdere terrae,
 uulnera nec lacrimis permissum fundere iustis:
 dum pater opprimitur, nati coniunxque trahuntur,
 diripiuntur opes, uirtus premit improba Martis,
 40 et pia desertae linquntur funera terrae.
 nobilis et pauper casu rapiuntur in uno;

21 *tergam ut uid. T* 22 *post hunc u. deest T folium secundum, hoc est uu. plus minus lxii. ante u. 23 suppleueris exempli causa (non mihi si centum linguas deus ipse secundet), coll. 404, Verg. georg. 2.43 (= Aen. 6.625), Ou. met. 8.533-4. de uu. 23-5 consulas etiam A. Cameron, Philologus III (1967), 308-9*
 27 *affrica T, et ita saepe* 28 *barbariis T* 30 *directa T (tt pro pt scriptum, corruptelam frequentissimam, posthac silentio praetermittimus)* 32-4 *enucleauit Petschenig (Philologus 58 [1899], 480) coll. Verg. Aen. 10.493-4 quisquis honos tumuli, quidquid solamen humandi est, / largior; quippe uoc. rabies u. 28 cum uerbo potuit continuandum est* 36 *subdere Mazzucchelli: surgere T* 37 *fundere] infundere Lachmann, quem sequuntur edd., sed cf. TLL s.u. fundere 1564.17-21* 38 *coniunxque T, et sic fere semper*

Cambridge University Press

978-0-521-13000-4 - Flavii Cresconii Corippi: Iohannidos Sev De Bellis Libycis
Libri VIII

Iacobvs Diggle and F. R. D. Goodyear

Excerpt

[More information](#)

LIBER PRIMVS

luctus ubique sonat, terror tristisque per omnes
 it metus et diris turbantur cuncta periclis.
 quis lacrimas clades praedas incendia mortes
 insidias gemitus tormentum uincula raptus 45
 explicet aut miseros possit numerare dolores?
 tertia pars mundi fumans perit Africa flammis.
 iamque pius princeps uolebat pectore curas
 pensans et nostras meditans quem uellet in oras
 ductorem mandare ducum summumque magistrum 50
 militiae, tantam cupiens fulcire ruinam.
 cuncta reuoluenti solus uirtute Iohannes
 consilioque placens, fortis sapiensque uidetur.
 gentibus ipse feris concurrere posse putatur
 solus et infensas acer prosternere turmas. 55
 quippe uiri decus et praeclari signa laboris
 uictaque bella placent regni grauiora superbi:
 expulit ut Persas, strauit quo uulnere Parthos
 confisos turbis densisque obstare sagittis;
 tempore quo lati manarunt Nitzibis agri 60
 sanguine Persarum, Parthoque a rege secundus
 congressus Nabedes fretus uirtute feroci
 amisit socias ipso superante cateruas,
 effugiensque suas actus formidine portas
 claudere uix potuit, †medieque in Nitzibis are 65

43 it *Mazzucchelli*: et *T* diris *Shackleton Bailey*: duris *T*: u. *adm.* ad 6.355 periculis *T*, et ita saepe 49 meditans *Lachmann*: moderans *T*
 50 ductorem] rectorem *Diggle* (cf. 3.43 rector ... ducum) 53 uerborum collocatio uix elegans, sed nihil fere lucraberis scribendo placet 55 infensas *Mazzucchelli* (infestas idem dubitanter): infensas *T*: u. quae adnotauit ad hunc u. *Petschenig* 57 uictaque bella ... regni grauiora superbi] uerborum collocatio perquam insulsa sed fort. toleranda (u. *BICSL* 15 [1968], 70): regnique ruina superbi *Diggle olim* 60 mandarunt nuzibis acri *T* 62 Nabedes *Bekker*: nec habet *T* 63 admisit sotias *T* 65 †medieque] mediaeque *Diggle* (cf. *Verg. Aen.* 6.588 mediaeque per Elidis urbem): mediaeque *Mazzucchelli*: mediamque *Lachmann* are] arce *Mazzucchelli*: arcem *Lachmann*: sensus, quem coniecturis parum felicibus infuscauerunt editores, hic est: *Nabedes profugus sequentes praeuersus et in urbem*

Cambridge University Press

978-0-521-13000-4 - Flavii Cresconii Corippi: Iohannidos Sev De Bellis Libycis
Libri VIII

Iacobvs Diggle and F. R. D. Goodyear

Excerpt

[More information](#)

IOHANNIDOS

Romanus dirupit† eques; uictorque Iohannes
 Persarum excelsas concussit cuspidē portas.
 principis ante oculos discurrunt cuncta fidelis
 fortia facta uiri. pensat uersatque labores:
 70 Theudosiupolin ut densus uallauerat hostis
 obsidione graui: noctis celer ille per umbras
 ut ueniens dubiae succurrit moenibus urbis
 hostes per medios portas ingressus amicas:
 75 territus utque pedem muris subtraxit ab illis
 ingens Mermeroes, densisque ut saeuior armis
 ardua sidereo cingentem moenia muro
 inde Daras ausus, ductor qua signa regebat,
 appetere et bello Latias temptare phalangas.
 80 sed postquam primam uigilans ex hostibus urbem
 eripuit ductor, fugientes inde secutus
 occupat ante uias atque omnes uindicat agros,
 ne popularet atrox aut quemquam laederet hostis,
 primus et obtinuit celsi munimina muri,

*Nitzibis aegre receptus equiti Romano extra portas excluso spem urbis inuadendae
 fefellit; ita ut Iohanni nihil reliquum esset nisi ut cuspidē portas frustra concuteret.
 quod autem Romani tantum non urbem inuaserunt, hoc in uerbis corruptis opus est
 demonstretur (male ergo medioque . . . aruo Petschenig, Romanos erupit Lach-
 mann). hunc sensum restituas scribendo mediae ne in Nitzibis arcem / Romano
 rupisset eques (de plusquamperfecto pro imperfecto cf., ut alia multa in hoc carmine,
 imprimis 6.772-3 tribuitque sepulcrum, / ne nudum . . . iacuisset corpus; de
 uerbo rumpere cf. 8.472, 480), uel, quod coniecit Kenney, (mediae) quin Nitzibis
 arcem / diriperet R. e. 66 dirupit in irupit mut. T teste Patsch, in irupit
 teste Mazzucchelli (in quid sit mutatum incertissimum est) 70 Theudosiupolin
 Bekker: teodosio ypolin T 76 de re cf. Procop. de bell. Pers. 2.13.17
 77 Daras (sc. urbem) cum cingentem coniunge: quod nomen pro indeclinabili haberi
 potest, ut apud Steph. Byz. et Procop. (Δάρπας) et auctores nonnullos Latinos (u.
 TLL 3.1.24) et sicut nomina multa in Corippi carminibus; sed ut nonnumquam in
 numero singulari declinatur nomen Dara ita hic in promptu est Daras pro plurali
 accusatiuo accipiendo cingentes scribere, quod proposuit Goodyear, quamquam
 nullum declinatae pluralis uocis siue Darae siue Δάρπας exstat exemplum qua
 Patsch: quasi T haud scio an uu. 76-7 inter se transponendo structuram suauiore
 effecturus sis 82 ne Bekker: neu T: cf. 2.201 ledere T 83 occtinuit
 uel ooct- T*

Cambridge University Press

978-0-521-13000-4 - Flavii Cresconii Corippi: Iohannidos Sev De Bellis Libycis
Libri VIII

Iacobvs Diggle and F. R. D. Goodyear

Excerpt

[More information](#)

LIBER PRIMVS

nec passus differre diu: nam protinus hosti
fortior in medios ausus concurrere campos 85
perculit innumeras felici Marte cateruas
egregiosque duces et iunctas foedere gentes.
Parthorum dominum uictum uersumque fugauit
Mermeroen. campis Romanum Persa sequentem
tunc metuens manibus gladios phalerasque nitentes 90
quisque suas medios fugiens proiecit in agros.
Medicus in cunctis ensis fulgebat harenis
uaginaeque leues, hastae clipeique comaeque
corporaque et mistus sonipes telisque superbi
armigeri iacuere ducis. iacuisset et ille 95
prostratus campis, ni uiuum prendere uellet
ductor magnanimus. uictus tamen ardua uidit
moenia Mermeroes, paucis comitantibus intrans.
tunc astans mediis dominum benedixit in aruis
Vrbicius sapiens, quem primum maximus orbis 100
imperialis apex famulum rebusque fidelem
tunc habuit lectumque inimicas miserat oras
noscere quae saeui fuerant discrimina belli.
hic ubi uictores Romanos feruere uidit
atque hostes uastos pauitantes ire per agros, 105
extendens geminas pariter cum lumine palmas
ad caelum sic laetus ait: ‘tibi gloria semper,
summe deus, uictos tandem post tempora Persas
cernere quod merui nostri uirtute Iohannis.’
hos uersans princeps animo tunc saepe labores 110

84 hosti ex hostis *mutatum T* 85 ausus *Bekker*: uisus est *T* concurre *T*
89 Mermeroen *Mazzucchelli*: memor enim *T* Persa *Partsch*: perfusa *T*
90 glodios *T* fallerasque *T* 91 agras *T* 92 Medicus *Shackleton*
Bailey: indecus *T* 96 uinum *T* 98 mermereos *potius quam mer-*
mereros T 99 aruis] armis *Mazzucchelli* (*pro militibus intellegendum*)
100 Vrbicius *Partsch*: urbi cuius *T* 102 lectumque inimicas *Diggle* (*de*
omissa praepositione cf. 3.417): lectum quem nullas *T*: lectum quemque illas
Partsch: alii alia 103 seni fuerat *T* 110 nos *T*

Cambridge University Press

978-0-521-13000-4 - Flavii Cresconii Corippi: Iohannidos Sev De Bellis Libycis
Libri VIII

Iacobvs Diggle and F. R. D. Goodyear

Excerpt

[More information](#)

IOHANNIDOS

- hunc solum Libyam oppressam defendere posse
matura pietate probat. nec plura moratus
iussit ab extremis acciri partibus orbis
ductorem. placidus fines dimittit et hostes
115 occiduas aditurus aquas, celerique iubentis
impleuit praecepta die uictorque recurrens
aurea Romanae tetigit mox limina portae.
principis ante pedes gaudens stetit ore sereno.
respexit famulum. pedibus celer ille benignis
120 oscula laeta dedit. paucis hunc orbis Eoi
acta referre iubet. iussus quae bella peregit
auribus insinuat placidis. gauisus alumno
imperialis apex optat sic uincere semper.
ilicet auxilio Libyam defendere mittit.
- 125 principis imperiis onerantur milite puppes,
impensis armisque simul, pugnasque docendus
mittitur auspiciis domituri bella magistri
tiro rudis magni. placidus iam tempore certo
carbasa uentus agens maturas fecerat undas,
130 nauigiumque Thetis suadebat prospera nautis.
maximus at princeps plena pietate magistrum
edocuit, haec uerba mouens: ‘res publica nostra
praemia compensat merito condigna labori
principe me cunctosque iuuat gradibusque potentes
135 esse facit quoscumque uiros bene currere sentit
pro terris populisque suis. nunc accipe dicta
et causas cognosce libens ac mente teneto.
Africa sub quantis iaceat miseranda periclis

111 nunc *T* 113 iuxit *T*, et ita saepe ab Mazzucchelli: et *T* extremis
Lachmann: externis *T* 114 finis. . . hostis *T*: u. quae hic adnotauit *Petschenig*
115 adturus *T* 122 gauisus *T* alumpno *T* 124 illicet *T* lybiam *T*
125 honorantur *T* 127 domituri *Diggle*: domiturus *T* 128 lyto-
rudis *T* 129 maturas *Lachmann*: moturas *T* 134 iuuat] leuat *Diggle*
(cf. 506, 3.123, *Iust.* 3.371) 135 quoscumque *T*, et sic fere semper 136 -que

Cambridge University Press

978-0-521-13000-4 - Flavii Cresconii Corippi: Iohannidos Sev De Bellis Libycis
Libri VIII

Jacobus Diggle and F. R. D. Goodyear

Excerpt

[More information](#)

LIBER PRIMVS

auribus in nostris sonuit. succurrere fessae
compellit pietas. placuit, fortissime, nostris **140**
et uisum est animis Libyam te posse tueri.
signa moue et celsas uelox conscende carinas
ac miseros solitis releua uirtutibus Afros,
Laguanque acies armis prosterne rebelles
sub nostris pedibus subiectum flectere collum, **145**
compressum uirtute tua. tu prisca parentum
iura tene, fessos releua, confringe rebelles.
hic pietatis amor, subiectis parcere, nostrae est,
hic uirtutis honor, gentes domitare superbas.
haec mea iussa tenens, ductor fidissime, serua. **150**
cetera Christus agat, noster dominusque deusque,
in melius referens, et te per cuncta gubernet
prosperitate sua. titulis melioribus auctos
pro meritis nos rite tuos uideamus honores.’
procidit ante pedes diuinisque oscula plantis **155**
pressa dedit lacrimisque rigans uestigia tinxit.
ductorem ipse pater cernens discedere princeps
condoluit pietasque animos concussit eriles.
inde petens classem nautas hortatur ouantes
magnanimus ductor. deducunt litore puppes; **160**
prima repercussis uerruntur marmora tonsis;
soluunt uela citi, magnis clamoribus urgent,
horrisonoque graues laxant stridore rudentes
expanduntque sinus. placidis iam carbasa flabris
aurae impulsa mouent: abscondunt alta carinae **165**

add. Mazzucchelli, om. T accipe accipe *T* **144** languentanque *T*
147 iura *Excerpta Veronensia (de quibus u. p. vii), iam coniecerat Mazzucchelli:*
laurea *T* **149** honor non honos *T* domitare *Excerpta Veronensia, iam*
Mazzucchelli: domare T **152** in melius *Bekker: immedius T*
153 tictulis *T* **154** rite tuos *Mazzucchelli: retectius T teste Mazzucchelli*
(equidem neque -cius neque uideamus, quod Mazzucchelli ‘non satis clare expres-
sum’ esse testatur, legere potui) **158** piccasque *T (cf. 11)* **162** urgent *ex*
urguent mutatum teste Mazzucchelli **163** orisonoque *T* **165** ascondunt *T*

Cambridge University Press

978-0-521-13000-4 - Flavii Cresconii Corippi: Iohannidos Sev De Bellis Libycis
Libri VIII

Iacobvs Diggle and F. R. D. Goodyear

Excerpt

[More information](#)

IOHANNIDOS

- et latet angustum centum sub puppibus aequor.
 prospera maturis crebrescunt flamina Coris
 impelluntque rates. aeratis aequora proris
 proscindunt celeres, sulcantur marmora rostris,
 170 spumea sub longis immurmurat unda carinis.
 classis Threicias angusto litore fauces,
 Seston Abydenis dirimit qua pontus ab aruis,
 Sigeasque uolat uentis segura per undas
 et legit antiquae litus lacrimabile Troiae.
 175 inclita tunc referunt Smyrnaei carmina uatis
 significantque locos alta de puppe priorum.
 haec Priami sedes, domus haec Aeneia, longe
 arboribus quae saepta iacet. hic saeuus Achilles
 traxerat Hectoreum curru rapiente cadauer.
 180 Demoleum hoc uictor prostrauit litore magnum
 Aeneas proauus, celsae quo moenia Romae
 nomen et imperii praeclarum auctore refulget
 atque tenet latum dominantis foedere mundum.
 cunctaque gesta canunt Argiui proelia belli:
 185 concidit Hectorea Patroclus fusus ut hasta,
 utque niger Memnon Pelidae uulnere uictus,
 fleuit ut Aurora ingentis pia funera nati,
 corrui ut mediis bellatrix uirgo cateruis
 Penthesilea suis, Rhesus qua nocte peremptus,
 190 Troilus utque puer forti congressus Achilli,
 uictor Apollinea cecidit qua lege sagitta,

166 tentum *T* 171 Threicias *Partsch*: traicias *T* 172 sexton *T* Abydenis
Bekker: abideus *T* 176 priorem *T* 181–3 *uu. negligenter expressi*: sensus
 est 'quo auctore refulgent celsae moenia Romae, et quo auctore refulget prae-
 clarum imperii nomen atque latum mundum tenet'. *obscurior* dominantis
 foedere *locutio fort. pro* 'sub iure uel imperio principis' *interpretanda est (de*
participio pro nomine usurpato cf. 4.340 pietas...regentis [sc. principis]):
 dominatus foedere *Goodyear dubitanter, coll. 3.265 foedere regni: possis etiam*
 tenent...foedera 183 acque *T* 189 pentasilea *T* res usqua *T*
 perhentus *T* 190 troiolusque husque *T*